

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

LX. Tmemata Antiquit. Ecclesiast.

urn:nbn:de:bsz:31-102564

historiam Patli narratione sua auxit, et in eandem sententiam pleraque de Pipino et Carolo M. attexuit, quae in veris et antiqvis Francorum annalibus non reperiuntur. Demus autem, Rhinotmetum in terram se proiicientem, pedibus Constantini Pont. osculum dedisse, non tamen id eo factum, ut summum eius principatum agnosceret, sed ut non fucatum cum ecclesia consensum, spemque pariter et fiduciam salutarem Pontifici, tanquam sacerdotum (iure humano) *primati*, citra ullum subiectionis argumentum, testaretur. *V. Marcus Antonius de Dominis de Rep. Eccles. lib. V. cap. 10. §. 5.*

LX. TEMERATA ANTIQVIT. ECCLESIAST.

Totam Christi Oeconomiam, unde historia N. T. ducitur, summam ac religiose descripsit Ignatius in Epistola ad Trallianos, quae vera germanaque est, et ab Eusebio recensetur. *H. E. lib. III. c. 36.*

§. II. Cuius auctoritas quidem ab aliis, vel eo quoque argumento firmatur, quod Christum ab inferis suscitatum in carne viderit, atque in hanc sententiam affertur Epistola ad Smyrneses, quae sane indubitatum huius Apostolici viri est monumentum.

§. III. Sed fama de Ignatio, Christum Servatorem manibus amplexo incerta, quin imo falsa est, et rationibus temporum adversatur, et menti Patris non congruit, atque ex rivulis potius Latinorum, quam ex fontibus Ignatianis derivatur.

§. IV. Tantum abest, ut *θεοφóεs* nomen nos de hac sententia dimoveat, ut quoque indicia suppetant, id non pertinere ad gestationem mortuumque externum. Quorsum spectat non aliena, nec imbecilla ratio, quam a vocabulo *πνευματοφóεs*, ab eodem similiter usurpato recte, et firmiter licet petamus.

§. V. Tum vero ad hanc oeconomiam indicem digitum intendit Ignatius, quum *σταυρόν*, id est CRUCEM veneratione prosequitur, non crucem ligneam innuens, sed rationem habens *οικονομίας δευτέρας*, quae usu quidem Patrum sic appellatur, ut a mysterio *οικονομίας πρώτης* congruenti, et strictiori notione discernatur.

§. VI. Nam crucis, imaginumque cultus multo recentior, et ab Ignatiano aevo alienior fuit, et quarto primum post. C. N. seculo coepit.

§. VII. Equidem aetate Origenis ab usu et disciplina Apostolice *ΑΞΥΙ* sensim recessum est, sed post Constantini M. tempora paulatim super-

fitio invaluit, et vel maxime Basilii et Nazianzeni aevo introductus est cultus sanctorum Martyrum, a quo tria priora, eaque puriora coetus Christiani secula constanter abhorruerunt. Occasio, initia, causaeque apud Graecas Ecclesias perspiciuntur ex Basilii, et Nazianzeni monumentis ad posteritatis memoriam relictis. De Latinis vel unus testis sufficit Ambrosius Episcopus Mediolanensis.

§. IIX. Praecipuam vero martyrum curam gesserunt Diaconi, et religionis causa in custodiam datos adierunt, ac solati sunt, magnaque diligentia res ad victum necessarias praebuerunt, et morituros mysteriis procurarunt, coelestique viatico muniverunt. Hinc formula EXOMOLOGESIN FACERE, Patribus usitata, abunde et evidenter indicat, eos partes huius divini muneris peregrisse, neque iis SACERDOTII VIGOREM defuisse, ut martyrum seculo loquitur Cyprianus, presbyter Carthaginensis.

§. IX. Congruit hoc iuri Divino, et moribus veterum Christianorum ex asse convenit, et Auctore Ignatio non obscure probatur. Nec fraudi sunt sequiora Ecclesiae instituta, quae iure humano discrimen receperunt.

§. X. Illud vero ad laudem prudentiae pertinebat, quod prisca Christiani DISCIPLINAM ARCANI fanciebant, et mysteria prudentes scientesque occultabant, cum ut Catechumenorum simplicitati consulere, tum ut homines idolorum cultibus deditos, et de Christianorum sacris abiecte loqui solitos ARCANI maiestate refellerent, eorumque societatem prorsus averfarentur.

§. XI. Cuius quidem moris nulla indicia prodita sunt ante Tertullianum, sive Graeca, sive Latina superiorum temporum monumenta inspiciamus. Etenim nullum tale vestigium cernitur vel in Clemente Romano, vel in Ignatio, vel in Irenaeo, vel in quovis alio iis aequali scriptore.

§. XII. Magna caeteroquin doctrinae et vitae sanctitas rigorem disciplinae tuebatur, et lapsi adeo communionem se indignos reddebant, praesertim ii, qui vel sacrificabant, vel sacrificio vescabantur.

§. XIII. Fuit autem sacrificantium locus, qui TRIANFACTA dicebatur, cuius perquirendi spes multos frustrata est, aut saltem dubios ancipitesque tenuit, dum sola, nec evidenti coniectura nitebantur.

§. XIV. Proinde nec sibi, neque nobis satisfacit NICOLAUS RIGALTUS, et studio litura abstinet, ac nihil substituit et mutat, quod ingenio potius quam antiquitati acceptum fertur.

§. XV. Locus extat apud Cyprianum, quem pietas, et ingenium non mediocriter commendant, Rhetorumque Scholis et foro partem eius laudis vindicant, in Epist. XX. quam Celerinus inter Afros scripsit, et Luciano transmissit.

§. XVI.

§. XVI. Hinc permultum sibi indulgent, et lectionem ex ingenio comminiscuntur, qui rationem interpretandi transmare apud Romanos quaerunt, et TRIA FATA exponunt.

§. XVII. Tanto minus huc quadrat Templum TAFANAE, quod trans Alpes Germani venerati sunt, atque inter eos sigillatim Marfi, Rheni accolae, habuerunt. *Tacitus Annal. l. 51.*

§. XVIII. E diverso veteres Frisii non templa, sed lucos habuerunt, argumento Baduhennae apud eundem, *A. IV. 73.*

§. XIX. Nulla enim tunc in Frisiis templa, sed plena impietatis nemora ac sylvae fuerunt, quorsum spectat SEVENVOLDAE tractus, ubi Maiores nostri sacris operati sunt, et Baduhennae idolum coluerunt.

§. XX. Quod documento est, FRISIONUM LEGES longe post haec tempora scriptas, et ut coniectura assequor, seculo demum septimo consignatas, quarum ultimus titulus inscribitur DE HONORE TEMPLORUM.

§. XXI. Nec tum vero ad Christianam mansuetudinem mitigati erant, quod caedes S. Bonifacii, in Frisia ob promulgatam Christi doctrinam IIX. S. caesi, funestus exitus demonstrat. *Othlonus vit. Bonifacii lib. II. c. 26.*

§. XXII. Per id tempus ergo non ECCLESIAE, sed refertae idolorum cultibus speluncae apud veteres Martiosque hos populos exstiterunt, quos idolorum mentione distingvo a SPELUNCIS HAERETICORUM, quippe quas Patres appellare consueverunt, cum ea loca designarent, in quibus Manichaei et Arriani, eorumque similes ad sacra sua peragenda conveniebant. Ostendunt hoc rescripta Imperatorum Christianorum, et Conciliorum formulae atque decreta, Patrumque consensus idque ex Hieronymo, et Augustino passim et potissimum liquet.

§. XXIII. Caeterum templa Christianorum insigni temporum intervallo post Apostolorum discessum exstructa sunt, nec BASILICAE CONSECRATAE ad eorum seculum pertinent, neque altius, quam ab aerate falsi et suppositi Clementis repetuntur.

§. XXIV. Magna autem et foeda Iuliani sacrorum desertoris calumnia fuit, quod templorum sacerdotes atque Antistites *περσιτάς Γαλιλαίων* appellavit, nec Auctori et Duci nostro pepercit, in cuius nomen familiamque Christiani adoptamur.